

audientium, immo verò non auditorum solum, sed & meam ipsius, qui dico, prius, quam vestram. Communis enim doctrina, communia vulnera. Idcirco communia etiam remedia adhibeo. Id Dei humanitatis opus fuit, ut & dicens & audiens iisdem legibus subiecti sint, ut eandem naturam participant, ut similiter reus sit, quisquis transgreditur. Quare? ut cum moderatione increpet, ut ad ignoscendum proclivis sit peccantibus, ut propriæ infirmitatis memor, non intoleranter arguat. Quocirca si videris aliquem è familiaribus tuis scortantem, & sacra adeuntem, dic dispensatori istorum: *Consequens* Iste mysteriis indignus est, prohibe profanum à sacris. Si enim indignus est talis, qui statuta Dei enarret, cogita, quanta illi accedat pœna, cum & sacram tangit mensam. Non autem ipsi solum, sed tibi etiam obnubenti. *Ex pari* Non enim dixit, & mœchabaris, sed cum adulteris portionem tuam ponebas. *Metisuloss* Papæ! quantum est malum, cooperire aliorum putredines? Socium enim te, inquit, esse pœnæ commissi delicti, & meritò. Ille enim affectum potest prætere, quamvis veniam prætextus non mereatur; tu verò ne quidem id potes. *Exclamatio* Cur igitur, cum voluptate non fruaris, supplicii sis socius atque particeps? Sed quoniam acrius indignè divinis utentes mysteriis *Transitio* pugimus, necesse est etiam ad vos, qui ministratis, verba facere deinceps, ut studio magno dona ista distribuatis. Non enim exigua pœna vobis impendet. Si enim, vobis conscii alicujus malitiæ, siveritis eum hujus mensæ participem fieri, sanguis ipsius ex manibus vestris reposcetur, sive dux exercitus is fuerit, sive equitum magister, sive ille ipse, qui diademate circumdatus est. Indignè autem si accedat, prohibe: majorem habes Dominum: ne irrites tuum Dominum, dum non expurgas

COR-